



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Sacratissimorum Jesu [Iesu] Christi Vulnerum

Wael Van Vronesteyn, Willem de

Antverpiæ, 1649

Quomodo ratio in Deipara dolorem gubernarit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49125](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49125)

CONSIDERATIO III.

*Rationem, immensum Deiparæ dolorem
ac mœrorem semper gubernasse.*

Quamvis dolor, ac mœror in Deipara ingens fuerit, semper tamen ratio illi ita moderata est, ut divinæ voluntatis conformis, non in querelas, clamores, ejulatus proruperit, nullisque spasms, ut loquuntur, seu animi deliquis mœstissima mater, atque afflictissima, obnoxia fuerit. Nam si Abraham, imperatam sibi à Deo Isaaci unigeniti sui necem, æquo ad eò animo tulerit; Si Salomona, Symphorosa, Felicitas maternos ante oculos atrocissimis tormentis, filiis lectissimis atque optimis vitam eripi conspexerint immotæ; si con fractis cruribus brachiisque Melithonem suum illa mater cohortata est, ut adhuc tantisper tormenta fortiter toleraret, identidem ingeminans, ad stare illi spectantem, & exspectantem Christum, ac deinde
suavis-

suavissimum onus in humeros sublatum sociis Martyribus, carpento, ut flammis traderentur, auctis, adjunxit, postquam in maternæ voluntatis religiosissima ara illum Creatori suo obtulisset holocaustum in odorem suavitatis: si, inquam, parentes isti, milleque alii, licet non sine ingenti paterni ac materni animi sensu, sine hujus tamen immodica perturbatione, fixâ in Dei voluntatem, ejusque obsequium, ac gloriam mente, filiis orbari potuerunt, quidni & idem de Deipara arbitrabimur, quæ perfectionis omnis ac fortitudinis imago erat, divinamque voluntatem constantissimè habebat pro sua? *Stabat, itaque, inquit S. P. 4. tit 15 Antoninus, juxta crucem Maria, fide, c. 41. S. I, & animo constans; Oculi quidem lacrymis pleni erant, & dolore ingenti cor ejus premebatur, sed sine querelis, sine murmuratione, sine ullo vindictæ sensu in eos, qui filium adeò crudeliter tractarent, exhibebat se afflictissima quidem, sed & patientissima Matris exemplar. Quæ, uti ait Ioannes Gerson, si Deus jussisset, propriis*

*Tr. 2. super
Magnificat
ex SS. An-
selmo, &
Antonino.*

priis manibus crucifixisset filium, neque enim credendum est minoris fuisse perfectionis, & obedientiæ erga Deum, quàm Abraham, qui proprium filium obtulit Deo in sacrificium propriis manibus occidendum, & comburendum.

CONSIDERATIO IV.

Depositus à Cruce Salvator in sinu Matris recumbit.

HOc spectaculum nostrum est, crucifixus, vulneratus, cruentus, mortuus Iesus in virgineum Mariæ sinum à Cruce depositus, optimus scilicet ac suavissimus ille filius inter brachia optimæ ac suavissimæ Matris, ille filius deformatissimus, inter amplexus matris afflictissimæ.

Crede, anima mea, cum tam lugubri huic spectaculo assistis, afflictissimam matrem plenos lacrymarum oculos ad te à vulneribus dilectissimi filii